Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3161
Quelle:
Copyright:

pore vespertino et matutino persolvendas. Quibus cum praefigatur Icon Episcopi ante crucem Servatoris flexis genibus precantis, de Possessore *Codicis* conjectes. Licuisset hunc fortasse suo nomine compellare, nisi Insignia *fol.* 2. adpicta, Libro ceterum optime servato et non nisi in fine abrupto, vi extrita fuissent. Invocati in Litaniis *Severinus* et *Servatius Coloniam* respicere videntur.

DCCCCXXII.

369 Codex chartaceus lat. Sec. XVII. Folior. 49. f. nitidissime exaratus, rubricisque decoratus et olim pertinens ad Bibliothecam Cubiculi *Leopoldi* I. Aug. continet: *Officium Conceptionis Immaculatae Sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae* praevia ejus Icone cum Lemmate: *Tu Humiliasti Sicut Vulneratum Superbum. Psal.* LXXXVIII. *v.* 11. Officium istud nulla Ecclesiae autoritate nixum ad privatos duntaxat usus conscriptum est. Novem *Lectionibus* constat e PP. Tractatibus depromtis. Per *Octavam* aliae atque aliae adsignantur. *Hymni*, *Antiphonae* et *Responsoria* generis rhythmici sunt haud admodum felicis. E duabus *Notis* ei subjectis opinari quis posset, Autorem *Franciscani* fuisse Ordinis. Adhaeret et *Missa* non magis cum ea conspirans, qua utitur Ecclesia, quam ipsum *Breviarium*. Hujus initium est: *Ad Vesperas Antiphona. Rex immensae Potestatis Hortum sibi voluptatis nouo plantat ordine* &c. Illius: *Introitus. Laetentur coeli et exultet terra Virginis Deiparae gloriosissimam extollentes Conceptionem* &c. Negotium, quod *Leopoldo* Aug. propter *Officium de immaculata Conceptione* cum *Innocentio* XI. P. R. fuit, narratur in *Avrignii Memoires Chronolog.* T. II. p. 65. ad an. 1678.

DCCCCXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 680
XVII. Folior. 15. 4. eleganter exaratus inscribitur: *De Quindecim Rosarij Mysterijs Gaudiosis, Doloroſis, Gloriosis iuxta exemplum Virginis cum pietate, fructuque recolendis.* Praeit *Allocutio ad Animam Christianam*; quae orditur: *Ex luce et tenebris dies omnis componitur; æstate et hieme constat omnis annus; nec minus lætis et tristibus humana omnis vita distinguitur* &c. *Mysterium* quodvis constat *Expositione*, *Documento* et *Affectu*; quibus non inepta suggeruntur. Sed Fasciculus hic non ultra *Mysteria Gaudiosa* progreditur. Utilior certe *Rosarii* Methodus, quam ea, quae granulis decurritur.

DCCCCXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. 793
XVII. Paginar. 475. 8. elegantissime in modum Typorum exaratus, auro, coloribusque speciosus, et ornatus Picturis X. majoribus, unaque minore artificiosissimis, inscribitur: *Officium Beatae Ma-*